

*At dum vela facit, sperata silentia miti  
 Incubère Mari passim. Tritonia Conjux  
 Fugit, & ad glaucas invisit amica sodales,  
 Inque cavernosum se submisère profundum  
 Nereides. Socius JESU, vagus æquoris Hospes,  
 Impatiens Voti æternique sititor Honoris,  
 Nil faciens hyemes æstivæque sidera spernens,  
 Sic properat, donec pulchram contingere metam  
 Possit, & æternam miseris adferre salutem  
 Chiniculis, quorum mentes fuscabat inanes  
 Cæca superstitio, stultè dum degener Orbis  
 Desipit, antiquumque tenet, pro Numine adorans  
 Impuros fædosque Deos, Caligine pulsâ  
 Sic Romana Fides successit, millia multa  
 Adducens CHRISTO, Patrum studio atque labore,  
 Qui nihil anteferunt Animarum nempe Saluti,  
 Post habitâ & propriâ vitâ, quin dicere s'veti:  
 Si Morimur, JESU Morimur: si sanguine tantum  
 Constiterit meritum, JESU debemus & illum.  
 Vivimus? hoc IESU est: Morimur, socij Optimi? & illud.  
 Alterius Vos nosque sumus. Sic Vulnera spernunt  
 Atque Cruces. Illos non terrent tela, nec enses,  
 Non nive Bruma rigens, non torrida Solis ab igne  
 Zona, nec infensis plena æquora & horrida Monstris.  
 Felices bis terque Patres! Vos nulla tacebunt  
 Sæcula, Vester Honos crescet, Nomenque manebit,  
 Donec ab æthereo Sol aureus adspicit axe  
 Ist hæc inferiora oculis, quæis omnia lustrat.  
 Exsultate PATRES, & læti plaudite! Vestris  
 Relligio auspicijs penetravit adultima Mundi  
 Regna, nec ignorant IESUM, quæis Nomine quondam  
 Planè haut notus erat, quos jam Pietatis, amore,  
 Devotoque DEI cultu quoque vincere multos  
 E Nostris perhibent. Et Vos, quæis tempora Vestra  
 Ornantur, Reliqui LOJOLÆ ex Ordine sancto,  
 Pro CHRISTO & Fidei venerando Dogmate nostra  
 Gens animosa mori; sacrum Pietatis honorem  
 Pergite Magno animo totum plantare per Orbem,  
 Anguria hæc Vestrorum exemplaque tanta sequuti  
 Rite Patrum. DEVS, ipse DEVS dubio sine Vobis  
 Porrò aderit, Vestra hæc cœlestia cepta secundans.  
 TV quoque, mi BOYMI, qui tanta pericla subisti  
 Ipse lubens, CHINAMQUE pio succensus amore  
 Per mare, per terras petisti, & mille viarum,*